



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. An aliquis plura Beneficia simul obtinere possit

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

facta, interveniente auctoritate Ordinarij,
ac consensu personarum interesse haben-
tium.

Articulus Secundus.

*An aliquis plura Beneficia simul obtine-
re possit.*

1. **R**egulariter nemo potest possidere
aut obtainere legitime duo Benefi-
cia, quorum unum sufficit ad congruam
sustentationem. Quia contradicit sibi fun-
dationum, privat Ecclesiam numero Mi-
nistrorum, defraudat voluntatem testato-
rum, spoliat vivos ac defunctos, pluralitate
precum & suffragiorum.

2. Nec ulli suffragatur Dispensatio et-
iam pontificalia ad possidendum plura simul
beneficia , nisi ex causis subsequentibus
vere procedat. 1. Ob congruam & decen-
tem suo statui ac Ministerio sustentatio-
nem. 2. Quando unum beneficium depen-
det ab altero sive alteri est unitum. 3. Ob
raritatem personarum Ecclesiasticarum,
ita ut necessitas postulet ut unus plurium
Ecclesiarum etiam curatarum accipiat cu-
ram.

ram. 4. Quando beneficium dignitati alieni est conjunctum, ut Canonicatus pastorum. 5. Magna & gravis utilitas Ecclesiae, ut cum filiis Regum & Principum Beneficia conferuntur, ut Ecclesiae conserventur, Hæreses propulsentur. Ex his causis dispensat Ecclesia & aliter concessæ dispensationes, subreptitiæ habendæ sunt, nec in foro conscientiæ sunt tutæ, quantumvis summi pontificis auctoritatem præse ferant.

3. A Beneficijs Ecclesiasticis ob triples causas homines excluduntur. 1. Ob omnimodam incapacitatem. 2. Ob inidoneitatem. 3. Quia indigni sunt, incapaces in Ecclesia Dei censetur jure naturali, mulieres sive sexus fæmineus, Hermophroditi prævalente sexu fæmineo, mutilati aliquo membro ad Beneficij executionem necessario, amentes &c. jure Canonico: hermophroditi prævalente sexu virili, Matrimonio juncti, non Clerici, Hæretici, actu excommunicati, irregulares, defectū natalium patientes, qui tamen ad simplicia beneficii dispensante Episcopo promoveri possunt, non tamen ad curata vel digni-

tas.

tates. Inidonei sunt : qui ijs qualitatibus carent, quæ ad eorum Ministerium necessariæ sunt ; ætas, scientia, mores, &c. Indigni dicuntur : qui etsi beneficij capaces sint, & ad illa aliquam idoneitatem habeat, illam tamen eminentiam in qualitatibus non habent, quæ in perfecte beneficium administrante requiritur V.G. Joannes vir ætate maturus moribus probatus, doctrina sufficiente prædictus, si infamia infecti generis aut delictorum juventutis laborat, ob defectum talem censetur indignus, & consequenter censentur indigni, qui qualitatibus requisitis carent quæ referuntur decem : 1. Thorus legitimus. 2. Clericatus vel Ordo. 3. Ætas requisita. 4. Cælibatus. 5. Immunitas à Censuris & pænis. 6. Probitas vitæ. 7. Scientia debita. 8. Carentia vitij corporei. 9. Intentio Ecclesiasticum statum retinendi, 10. Carentia prioris Beneficij incompatibilis.

Articulus Tertius.

De peccatis in Beneficiorum adeptione.

1. **P**eccant mortaliter in Beneficiorum adeptione, & nec beneficium, nec